

cum quinquaginta et eo amplius hominum milibus regnum eorum aggressus, Coloniam usque venit. Filius
Ludovici alias occupans, Ludovicus iunior legatione ad patruum missa rogabat ea que pacis
sunt. Quod cum impetrare non posset, viriliter eum bello excepit, eiusque victum cum nimio exercitus damno
et multo dedecore fugere compulit. Ingruente in Germania pecorum pestilentia, dum canes un-
dique collecti cadaveribus incuberent, ita disparuerunt, ut nec vivi nec mortui reperirentur.

II   XXVIIII   VIIII

Karolus imperator Romam secedo profectus, Bosoni Germano uxoris sue nepti suam filiam Ludovici
imperatoris uxorem dedit, et data ei provincia in regem eum coronavit, ut etiam regibus imperare videretur.
Qui audiens fratrueles suos Karlomannum et Karolum contra se exercitum adducere, pavore solu-
tus reditum parat, et inter redeundum a quodam Sedechia Iudeo male potionatus, moritur.
Filius eius Ludovicus cognomento Balbus sedit post divisionem regnat in Francia annis duobus. Iunior vero
Karolus filius Ludovici Germanorum regis imperium adeptus est, annitentibus sibi quibusdam nobilium Ro-
manorum, Iohanne autem papa satagente imperium transferre ad Ludovicum Balbum filium recens de-
functi Karoli imperatoris.

I   I   X

Iohannes papa a Romanis iniuriatus ita ut etiam in custodia teneretur, pro eo quod Karolo non fave-
bat, in Franciam veniens cum rege Ludovico Balbo pene annum moratus est. Northmannorum
plusquam quinque milia a Francis in Gallia cesa sunt. Hoc tempore clarebat Milo monachus
sancti Amandi, qui vitam sancti Amandi metrice edidit, et librum de sobrietate ad Karolum Calvum
scripsit. Sub hoc Milone adolescebat etiam nepos eius Hubaldus, qui in septem liberalium artium
peritia clarus, egregie preter cetera in musica claruit, et de multis sanctis cantus dulci et re-
gulari modulatione composuit.

II   II   XI

Sol hora diei nona ita obscuratus est, ut stelle in celo apparerent. Rex Francorum Ludovicus
Balbus moritur, uxore sua ex se gravida relinquens. De regno eius Francis varie sentientibus, aliis
illud filiis Ludovici Balbi ex concubina deberi indicantibus, aliis Bosoni provincie regulo
ad illud iniuste invadendum assentientibus, aliis vero illud regno Germanie resociare volen-
tibus, nascitur interim ex legitima uxore Ludovici Balbi filius, qui ex nomine avi Karolus
nominatus est. Filii tamen Ludovici Balbi ex concubina Ludovicus et Karlomannus dicti
interim regnum Francorum inter se dividentes regnant annis IIII, et Bosonem semper persecuti sunt.
In silva Francie Carbonaria plusquam novem milia Northmannorum a Francis ceduntur.

I   I   XII

Karolus imperator fratre suo Karlomanno defuncto, et non multo post Ludovico altero fratre
suo immatura morte prerepto, post claras de inimicis victorias, regnum Germanie optinuit.

II   II   XIII

Karolus Rome a papa Iohanne in imperatorem benedicitur. Northmanni adiunctis
sibi Danis Franciam et Lotharingiam pervagantes, Ambianis, Atrebatis, Corbeiam, Came-
racum, Taruuennam, fines Morinorum, Menapiorum, Bracbatensium, omneque circa Scaldum
flumen terram, monasteria sanctorum Walarici et Richarii ferro et igni devastant.
Inde Wal fluvium ingressi, totam Batuam, palatium etiam Neomagi incendunt.
Eodem anno Godefridus et Sigifridus reges Northmannorum cum inestimabili multi-

A. D. 1101—1106. — Autograph des Sigebert von Gembloux.

Brüssel, Bibliothèque royale, ms. 18239—40, fol. 33.

License: public_domain – Various Locations, Generic Collection, , Tafel 77 – Franz Steffens, Lateinische Paläographie (https://fragmentarium.ms/view/page/F-12v1/7415/60050)